

*Cap. 11.* Lib. 18. tit. 1. digest. 62. dicit, quod qui nesciens rem sacram pro privata comparat, licet venditio non teneat, tamen actionem adversus venditorem habeat, in quantum ejus interfuit, ne deciperetur. *Balf. Schol.* Digestum 62. tit. 1. lib. 18. est lib. 19. Basilic. tit. 1. cap. 62. them. 2. quod habet, ut in textu scriptum est.

*Ibid.* Dicit lib. 1. tit. 18. digest. 13. quod præfides conquirere debeant sacrilegos, & lib. 10. tit. 2. dig. 4. quod quæ sacrilegio quæsitæ sunt, heredes inter se non dividant. Et lib. 45. tit. 1. dig. 26. quod invalide quisquam se sacrilegium facturum promittat, atque inde actio non competat. *Balf. Schol.* Digestum 13. tit. 18. lib. 1. est lib. 6. tit. 1. cap. 42. quod sic habet: Præses pacis curam habeto, sacrilegos, plagiarios, fures, ac eorum receptores conquirens, eorumque delictum supplicio persequens. Dig. 4. tit. 2. lib. 10. est Basil. lib. 42. tit. 3. cap. 4. thema 2. quod dicit: Exceptis enim nominibus, reliquæ res in iudicium &c. Porro quæ sacrilegio, peculatu, vi, aut aggressura quæsitæ sunt, non dividantur. Digest. 26. tit. 1. lib. 45. est lib. Basil. 43. tit. 1. cap. 25. quod ait: Turpes stipulationes nullius sunt momenti, veluti siquis homicidium, vel sacrilegium promittat se facturum.

*Ibid.* Lib. 48. tit. 4. dig. 1. Quod crimen læsæ majestatis sacrilegio simile sit. Et tit. 13. ejusdem lib. dig. 1. quod sacrilegii actio moveatur adversus eum, qui ex sacris pecuniis quippiam abstulit, vel in rem suam vertit, vel dolo fecit, quo horum quid fieret. Digest. 4. Sacrilegi pro qualitate delicti puniuntur. *Balf. Schol.* Digest. 1. tit. 4. lib. 48. est Basil. lib. 60. tit. 36. cap. 1. quod dicit: Lex de insidiatoribus similis est legis de sacrilegio &c. Digest. 1. tit. 13. ejusdem libri, est lib. 60. tit. 45. cap. 1. Peculatus actio movetur adversus illum, qui ex pecunia sacra, religiosa &c. Digestum autem 4. in Basilicis non est positum.

*Ibid.* Digestum 6. ex sacra æde privatas pecunias subripere, non sacrilegium, sed furtum est. Dig. 16. tit. 19. lib. 48.